



# **Disputatio juridica inauguralis de successione ab intestato**

<https://hdl.handle.net/1874/342826>

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
D E

Succeffione ab Inteftato,

Q U A M

PRÆSIDE DEO TER OPT. MAX.

*Ex auctoritate Magnifici Rectoris,*

**D. JOHANNIS MÜNNICKS,**

Reip. Ultrajectinæ Poliatri, atque in inclytâ ejusdem Academiâ  
Medicinæ Anatomæ & Botanices Antecessoris Ordinarii,

NEC NON

*Ampliffimi Senatus Academici confensu & Alma  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS;

Summifque in **UTROQUE JURE** Honoribus &  
Privilegiis ritè confequendis,

*Eruditorum examini fubjicit*

**BALDUINUS VAN BERLICOM**, Rotterodamo-Batav.

*Ad diem 30. Junii, horâ locoque folitis.*



TRAJECTI AD RHENUM,

Ex Officinâ **FRANCISCI HALMA**, Academiæ  
Typographi Ordinarii, clō lōc Lxxxv.



*Nobilissimo, reverendoque VIRO*

D. D. EGBERTO van BERLICOM, Civitatis Rotterodamensis, nuper præfidi scabino Schielandiæ prudentissimo, ac J. U. D. vigilantissimo, Parenti suo plurimum honorando, in æternum filiali amore, ac omni observantiæ cultu colendo, ac persequendo.

*Nobilissimo, ac Consultissimo VIRO*

D. D. JOHANNI vander DOES, inclytæ civitatis gaudenses syndico vigilantissimo accultissimoque, J. U. D. ejusdemque facultatis, nuper in illustri Academia Harvardici antecessori Ordinario celeberrimo, ac prudentissimo acutissimo.

NEC NON

*Celeberrimo acutissimoque VIRO*

D. D. WOLFERDO SENGWERDIO, J. U. D. ac Professori Philosophiæ, in celeberrima Academia Lugduno-Batava Nobilissimo ac faciendissimo.

UT ET

*Nobilissimo ac facundissimo VIRO,*

D. D. ANDREÆ HOFFLANT, Advocato pro Curia Hollandiæ acutissimo ac facundissimo, cognatis meis plurimum honorandis, & ob amicitiam magnopere colendis.

UT ET

*Celeberrimo ac Consultissimo VIRO*

D. D. CYPRIANO REGNERO ab OOSTERGA, J. U. D. ejusdemque facultatis in illustri Academia Ultrajectina antecessori Ordinario promotori suo dignissimo.

*In honoris & amicitie signum hæc Inaugurales*

*Theses grato animo*

Offert & inscribit

BALDUINUS VAN BERLICOM.

Auth. & Resp.



## PRÆFATIO.



Quoniam pro more in Aca-  
demiis recepto constitutum  
est, ut illi, qui gradum do-  
ctoratus acquirere conan-  
tur, publicum specimen  
sua aptitudinis exhibeant:  
Ita ut uni magis hanc, alteri rursus aliam  
materiam, placet defendendam sume-  
mere; sic quoque & mihi, ubi aliis magis  
arrisit, tum de donationibus, tum de gene-  
ribus contractuum, ut sunt pacta, & trans-  
actiones, tum de materia testamentaria,  
& alia innumerabiles: sic mihi præ cæteris  
maxime placuit hanc præclaram de succes-  
sione ab intestato materiam pro viribus de-



sendendam sumere : quanta sit utilitas , imo  
vero necessitas hujus materiae , non opus est  
multis exprimere , quoniam experientia quo-  
tidie hoc abunde testatur. Ne longum faciam  
ergo , conabor tantum breviter & clare  
hanc utilissimam pariter ac valde necessa-  
riam materiam proponere , & ut utar ver-  
bis alicujus auctoris , dicentis , in omni  
doctrina breve aliquod & certum decet  
colligere , quod in arcula memoriae recon-  
datur : unde postmodum , cum res exigit ,  
aliqua deriventur.

DIS



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS

DE

Successione ab Intestato.

CAPUT I.



Hereditas est Successio in universum jus, quod defunctus tempore mortis habuit *l. 24. ff. de V. S.* successio autem est jus succedendi *l. 3. ff. de bon. posses.* omnis autem hereditas sive successio dupliciter fit, vel ex testamento vel ab intestato *§. ult. ff. per quas pers. cuiq. acquir.* de qua successione hic venit dicendum: successio ab intestato, quæ & legitima dicitur, propterea quod immediate à lege defertur *l. 130. ff. de V. S.* & à lege sola absque voluntate defuncti, cum testamentariam non ipsa lex deferat, verum à testatore delatam confirmat *d. l. 130.* hinc etiam sibi invicem passim in jure nostro opponuntur heredes testamentarii & legitimi *l. 3. §. 2. ff. pro socio. l. 17. §. 1. l. 70. l. 77. ff. de acquir. hered. l. 1. & tot. tit. ff. de suis & legit. hered.*

§. 1. Est & alia divisio hereditatis, nempe civilis vel honoraria, sive prætorica; hæc hereditas bonorum possessio dicitur,



## 6 DISPUTATIO JURIDICA

cum prætor mittit in possessionem bonorum, de qua materia peculiare titulos habemus in libro trigesimo septimo pandect.

§. 2. Dicitur etiam iusta hereditas, quæ ab intestato defertur: propterea quod jure quodam sanguinis & necessitudinis, omnique jure tam naturali, quam civili debita videatur *d. l. 3. §. 2. ff. pro socio.* quamvis per justam hæreditatem etiam intelligi posset testamentaria, & ea quæ jure & quovis modo obvenit, ut ex *d. l. 3. §. 2.* colligi potest.

§. 3. Præmittendum tamen videtur quid sit ab intestato decedere, & hoc variis modis fieri dicitur, proprie autem intestatus decedit, qui cum posset testamentum facere, tamen non fecit, vel qui omnino testamentum non fecit, veluti cum quis non solum non fecit testamentum, cum facere posset: verum etiam is, qui cum civis Romanus esset, & suis juris, propter ætatem vel aliam causam, forte mortalitate præventus, aut aliter impeditus *l. 1. ff. de injust. rupt. irr. fact. test.* testari non potuit; ut pupillus, furiosus, prodigus *d. l. 1.* quamquam hoc minus proprie, tamen rectius, de eo qui testamenti factionem habuit, dicatur, propterea quod, quamvis illi non possint testamentum condere, parentes tamen iis possunt facere, de qua re exempla habemus in *l. 37. ff. de vulg. & pup. substit. l. 10. C. de legit. hered. l. 4. §. 3. ff. qui pet. tut. l. 9. ff. de reb. dub. l. 6. C. ad S. C. iertyll.*

§. 4. Secundo, aut non jure fecit, cum quidem fecit testamentum, sed injustum, cum legitimum numerum testium non adhibuerit, aliasque solennitates juris civilis omiserit, quæ ad ordinanda testamenta necessario desiderantur: aut circa institutionem hæredis, cum eos omisit qui jure debebant institui *l. 1. ff. de inj. rupt. & irr. fact. testam.* paria enim sunt aliquid non fieri, & non jure fieri *l. 6. ff. qui satisd. cog. l. 8. §. 2. ff. de bon. poss. cont. tab.*

§. 5. Tertio, aut id quod fecerat, ruptum irritumve factum est: proprie autem dicitur rumpi testamentum, cum in eodem statu manente testatore, ipsius testamenti jus vitiat *§. 1. ff. quib. mod. test. infir.* cum quis jure quidem fecerat testamentum, sed per capitis diminutionem, aut agnationem posthumi testa-  
men-



mentum, rumpitur, cum post factum testamentum filius nascitur, vel adoptione aut arrogatione, cum agnoscatur suus heres *d. §. 1. l. 3. pr. ff. de inj. rupt. & irr. fact. testam.* posthumus autem dupliciter dicitur, vel post mortem testatores, vel post conditum testamentum *d. l. 3. §. 1.* aut si rescindatur testamentum, aut deleverit scripturam, aut tabulas testamenti inciderit testator, vel alia fecerit, hoc intestatum eum facit *l. pen. C. de testam. l. 1. §. pen. ff. si tab. testam. null. ext. & tit. ff. de his que in testam. del.* Rescisso quoque per quærelam inofficiosi rumpitur testamentum, & aliis quamplurimis modis *l. 6. §. 1. l. 2. §. 2. ff. de inoff. testam. testam. l. 16. 17. & 18. ff. de inj. rupt. & irrict. fact. test. l. 17. C. de Collat.*

§. 6. Quarto, aut si nemo heres ex eo exstiterit, cum quis quidem fecit testamentum, quod jure firmum & validum erat, sed heres institutus non adierit hereditatem; nam heredis institutio capud & fundamentum est totius testamenti *l. 1. §. ult. ff. de vulg. subst. §. 34. f. de leg. §. 2. f. de fideic. hered.* Intestatus decedit, cum conditio non existat, vel ante testatorem moriatur, aliisque modis *§. 2. f. quib. mod. testam. infirm. l. 9. ff. de testam. milit. l. 64. ff. de V. S. §. 7. in fin. f. quib. mod. testam. infir. §. 2. f. de leg. falc. l. 1. ff. de inj. rupt. & irr. fact. test. l. 20. ff. de bon. poss. com. tab. & ut Paulus Jctus ait in *d. 64.* intestatus est, non tantum qui testamentum non fecit, sed etiam ex cujus testamento hereditas non est adita: Improperie tamen pupillus, furiosus, prodigus, intestati decesse dicuntur, quoniam nunquam habuerunt testamenti factionem *l. 1. in med. pr. ff. de suis & leg. her.* generali tamen significatione Ulpianus inter intestatorum numerum refert in *d. l. 1. pr.**

§. 7. Verum quia circa successionem intestatorum magna semper fuit varietas, plurimæque mutatio, (quantum vero ad successionem liberorum, in id facile consenserunt Veteres Jurisconsulti) ut inter cognatos & agnatos, inter liberòs suos & emancipatos: Ideoque necessarium esse duxit Imperator, ex Novellarum constitutionibus, sive jure authentico, summam quandam huc transcribere, & quæ alibi extant de eadem re huic regulæ contraria, lege posteriore, antiquata, intelligere *l. 26, 27, & 28. ff. de leg.*



*leg.* Verum quæ mutatio jure novissimo à Justiniano Imperatore facta sit in successione ab intestato *N. 118.* in unoquoque ordine succedentium dicendum erit. Sed antequam eo perveniamus, considerandum venit, quinam succedant & quo ordine; & hoc tripliciter fit, descendantiam, ascendentiam, & collateralium: de qua successione ordine nunc agendum erit.

## C A P U T II.

**P**rimo autem loco vocat Justinianus ab intestato ex *d. N. 118. cap. 1.* descendentes, sive liberos tam masculos quam feminos, suos & emancipatos, adoptivos posthumos, legitimatos naturales, omnes æquali jure veniunt & succedunt parentibus, exclusis omnibus aliis ascendentibus, & ex transverso gradu conjunctis, nullo habito sexus aut ætatis discrimine *d. N. 118. c. 1. §. 2. f. de adopt. §. 5. f. de exher. lib.*

*§. 1.* Ex quo primum intelligimus liberos emancipatos in hac successione suis sic exæquari, ut illi jam non amplius intelligantur adjuvari auxilio prætoris *d. §. 5.* necesse tamen est, eos adire debere, antequam eam possent ad quoscumque heredes deferre; cum tamen hæc maneat differentia, quod sui dicunt testamentum ipso jure nullum, hi habeant bonorum possessionem contra tabulas *§. 3. f. de exher. lib.* & deinde sic admitti, ut etiam patri incujus potestate defunctus fuerat, præferantur *d. N. c. 1.*

*§. 2.* De pluribus autem gradibus liberorum sic statuit Imperator, vivos quidem liberos primi gradus excludere nepotes exenatos in successione avi sui: illis autem mortuis, nepotes in locum eorum succedere, & admitti ad successionem avi sui, jure repræsentationis, sive soli sint, sive cum filiis defuncti concurrant: si autem filius emancipatus sit; & nepos in potestate sit retentus, quæstio erit quomodo hi succedent? & dicendum erit, hac ratione, quoniam emancipati & sui æqualiter ad hereditatem vocantur, solum filium emancipatum, excluso nepote, admitti ad successionem arg. *d. N. c. 1. d. §. 5. f.*

*§. 3.* Si autem duo sint filii, & plures nepotes ex altero filio



lio præmortuo ? dicendum erit , hereditatem dividendam esse in tres partes , & nepotes cum filiis succedere debere , ita ut filii duas partes habeant , nepotes alteram partem , jure repræsentationis in stirpes ; quod ita vocant JConsulti , cum non personarum , sed stirpium habetur ratio , cum illi tantum accipiunt , quantum illè accepturus fuisset , quem repræsentant : succedere in capita , cum hereditas dividitur in tot partes quot sunt capita *l. 2. §. 2. ff. de suis & leg. hered. l. 2. C. eod.*

§. 4. Sunt autem duo casus , quibus parens ad certam partem jure singulari cum liberis admittitur , unus in *l. 3. C. de bon. matern.* alter in *N. 53. c. ult. & N. 117. c. 5. auth. præterea.*

§. 5. Naturales autem liberi , sive ex concubina nati patri non succedunt , sed alimenta tantum ab eo accipiunt *auth. licet C. de natur. lib.* nisi pater , nec legitimam conjugem , nec liberos habeat legitimos , quo casu admittuntur ad duas uncias cum matre concubina dividendas *N. 89. c. 12. §. 4.* matri vero & omnibus per lineam maternam ascendentibus perinde ut legitimi , una cum liberis legitimis succedunt , etsi mater sit illustris *l. 2. ff. unde cognati l. pen. C. ad S. C. Orph.*

§. 6. Spurii , sive nati ex meretrice patri prorsus non succedunt *l. 2. l. 4. ff. unde cog.* matri vero & ascendentibus maternis succedunt una cum liberis legitimis ; si præteriti , habent quærelam inofficiosi contra matris testamentum *l. 29. §. 1. ff. de inoff. testam.* nisi mater sit illustris , & liberos habeat legitimos *l. pen. C. ad S. C. Orph.*

§. 7. Incestuosi & adulterini patri nec matri succedunt , & jure civili nec alimenta petere possunt *auth. ex completu C. de incest. & inut. nupt.* quem tamen rigorem mitigavit jus canoninum *C. cum haberet in fin. de eo qui duxit in uxor. quod etiam ex d. auth.* colligi potest , cum tantum loquatur de patre non de matre. Nec putarem sane jus civile refragari , quominus magistratus , ex officio liberis hujusmodi , alias fame perituris , alimenta jubeat subministrari : nam & pater , licet incestuosus & impius sit , attamen alendus est , quia pater est *N. 12. c. 2. vide Gail. lib. 2. obs. 115.*



**H**Æc de successione descendantium, qui si desint, sequuntur ascendentes, qui, liberis defunctis extantibus ad legitimam hereditatem liberorum suorum vocantur: si defunctus non reliquerit fratres, soli admittuntur *d. N. 118. c. 2.* & si sint in eadem linea succedunt in capita; nam in hoc ordine jus representationis non habet locum *d. c. 2.*

§. 1. Sunt autem de eo jure hæ tres regulæ; in linea descendantium locum habet in infinitum, in linea ascendentium cessat, in linea collateralium non habet locum ultra fratrum filios *C. 3. h. N. vers. hujusmodi* si vero ex diversa sint linea, succedunt tanquam in stirpes, & semissem unum paterni, alterum materni habeant, licet sint impares numero *C. 2.* nec attenditur unde bona defuncto obvenerint, an à parte an à matre *C. 2. vers. si autem.*

§. 2. Quid si cum parentibus inveniantur fratres germani defuncti, non soli parentes ad hereditatem vocantur, sed una cum horum proximis fratres & sorores vocantur in capita, & hoc singulare est quod usufructus portionis fratribus delatæ, parentibus quorum in potestate sunt, non acquiratur *C. 2. vers. si vero.* & hic locum habet regula, gradu proximior excludit remotiorem, & si sint ex eodem gradu, alia regula habet locum, scilicet pares gradu pariter admittuntur & postea si cum parentibus inveniantur fratrum germanorum demortuorum filii vocantur in stirpes, data his portione quam pater eorum superstes acceptures fuisset *N. 127. c. 1.*

§. 3. Quantum vero attinet ad parentes illegitimos, ut liberi succedunt parentibus, ita parentes liberis.

C A P U T I V.

**O**Rdine sequitur ut de Collateralibus agamus, primum, si ascendentes non adsint, vocat *N. 118. c. 3.* fratres & sorores germanos, qui consanguineos & uterinos excludunt *auth. itaque C. comm. de success.* & hic illa regula locum habet, quod gradu proximior excludit remotiorem *d. N. c. 3.*

§. 1. Sed regula hæc limitatur in fratribus & eorum liberis: in quibus duplicitas vinculi & jus repræsentationis quoque spectatur, juxta regulam in tertio capite positam, quod repræsentatio non habet locum ultra fratrum filios *d. C. 3. auth. itaque C. comm. de succ.* est ingens quæstio, an fratrum filii, quando soli existunt, in stirpes, an vero in capita ex jure Novellarum succedere debeant? sed mihi convenientius juris rationi videtur in stirpes succedere debere cum Accurtio & Wissenbachio; nam qui vocantur jure repræsentationis, non possunt aliter succedere nisi instirpes *d. N. C. 3. vers. unde consequens, junct. §. 6. F. de hered. qua abintest. defer.*

§. 2. Post fratres germanos & eorum liberos, nec duplicitas vinculi, nec repræsentatio locum habet, sed sola gradus prærogativa spectatur, juxta dictam regulam, & succedunt proximi, sive agnati, sive cognati in infinitum *l. 2. §. 1. ff. de suis & leg. her. d. N. c. 3.*

§. 3. Deficientibus omnibus sanguine junctis, ex jure prætorio admittitur conjuges legitimi *l. 1. C. unde vir & ux.*

§. 4. Aliquando tamen etiam conjux existentibus cognatis & liberis, succedit in quartam partem, si matrimonium sit sine dote, & conjux præmoriens locuples *auth. præterea C. unde vir & ux. N. 117. c. 5.*

§. 5. Deficiente conjuge, si defunctus fuerit liberalitatis imperialis, socius succedet *l. un. C. si liber. in per soc.* si fuerit certi & liciti Collegii membrum, succedit collegium, veluti fabricensium, Naviculariorum, Decurionum & Cohortalium, vel similia *tot. tit. C. de her. decur.*

§. 6. Ultimo autem loco fiscus venit, & vacantem hereditatem



tem occupat, qui proinde non fit heres, sed res omnes hereditarias acquirit, dommodo jus illud intra quadriennium agnoscat *l. 4. C. de bon. vac.* & tunc creditores pro virili satisfaciat *l. 11. ff. de jure fisci.* Quid si intra quadriennium jus suum non agnoscat? dicendum est occupantes fieri, quasi, res quæ nullius in bonis sunt; quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur juxta §. 12. *f. de rer. d. vis.* & usucapi possunt, etsi fisco denunciata sint, intra quadriennium *l. 1. §. 2. ff. de jure fisci.* Si quis vero velit nostras leges & constitutionea circa hanc materiam investigare, videat Arnoldum Vinnium accurate differentem in magnis commentariis ad Instituta. His itaque breuiter de monstratis, quamquam longe, plura addere potuissem, sufficere putavi.

F I N I S.

